

tes, grave damnum alteri inferri, licet neque consilio, neque exemplo alios adjuverint. Sed probabilius est, singulos solum venialiter peccare, cum non sint moralis causa damni, quod per accidens evenit Domino. Potiori jure a gravi culpa excusantur qui simul cum aliis plura minuta furta perpetraverint, per quæ domino grave detrimentum affertur, si alter de altero nihil omnino sciat.

11. Quid vero si aliorum exemplo aliqui moveantur ad furandum, ita ut gravem quantitatem surripiant, sed absque communi consilio? Multi dicunt, peccare ipsos contra justitiam; atque his adhærat Laym. Sed probabilius Salmant. cum Lugo tenent, solum peccare contra charitatem, & quidem graviter, si materia est gravis, ratione scandali, non ita contra justitiam, cum non sint causa positive influens in damnum alterius. Nota, eum, qui sine intentione furandi rem gravem, plura committit furtula, peccare mortaliter, si advertens ultimum furtum complere materiam notabilem, illud exequatur; saltem si rem illam injuste retineat, aut notabile damnum per illud Domino inferatur. Quod si post completam materiam gravem, adhuc quis leve aliquid aliud furetur, Lugo, & alii dicunt, toties peccare mortaliter, quoties aliquid leve surripit, sed Lessius, Salmant. alique opinantur, hujusmodi leve furtum non constituere peccatum mortale, nisi pertingat ad aliam magnam quantitatem. Alia circa furta domesticorum vide apud Auctorem pag. 184. VI. editionis Rom.

CAPUT II.

De restitutione.

21. *Quæst. 1.* Quid est restitutio, & quot sunt ejus radices? R. est actus justitiæ commutativæ, quo reparatur damnum proximo illatum contra justitiam. Differt a satisfactione late sumpta, quæ complectitur quamlibet reparationem pro offensa alteri illata in quolibet genere. Differt a satisfactione stricte sumpta, quæ est compensatio illatæ contumeliæ, vel inhonorationis. Hæc autem respicit personam; restitutio solum rem, cum versetur circa æqualitatem rei ad rem, ut ait S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. Nihilominus quæ destitutione dicta fuerint applicari debent reparationi honoris, & famæ, cum pro utrisque sit eadem regula.

13. Jam vero cum jus proximi lædi possit, vel rem ipsi auferendo, vel injuste retinendo, vel damnum ei inferendo, vel denique iniqua ratione cum eo contrahendo; hinc quatuor assignantur radices obligationis restituendi. 1. scilicet injusta acceptio. 2. injusta retentio. 3. damnificatio injusta. 4. demum contractus injustus, quibus addunt aliqui legem positivam, sive justam sententiam. Ex his capitibus oritur obligatio restituendi, & quidem gravis, si grave sit damnum proximo illatum. Nam qui non restituit, cum potest, nec habet legitimam causam differendi, nocet proximo, eique facit injuriam, privando eum possessione, & usu rei

suæ, vel violando jus, quod habet, ut rem illam possideat. Unde Ap. ad Rom. 13. ait: *Reddite omnibus debita... nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis.* Et Jac. 5. *Ecce merces operariorum... quæ fraudata est a vobis, clamat & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

14. *Quest. 2.* An oriatur obligatio restituendi ex damno illato sine culpa? Nota, aliam esse culpam *theologicam*, quæ respicit conscientiam, & est omne peccatum sive mortale, sive veniale; aliam *juridicam*, quæ est ommissio debitæ diligentiae, ex qua sequitur damnum, & sæpe accidit si ne ullo peccato, etiam veniali. Si diligentia, quæ omittitur ad cavendum alterius damnum, sit ea, quam omnes fere solent adhibere, culpa juridica, seu civilis dicitur *lata*; *levis*, si omittitur diligentia, quam viri diligentes adhibent; & *levissima*, cum solum omittitur diligentia, quam non nisi diligentissimi adhibent. His positus, — R. 1. obligatio restituendi non oritur ex culpa civili, & juridica, nisi adjungatur culpa theologica, extra contractum. Ita omnes TT. quia cum obligatio hujusmodi conscientiam oneret, requirit, ut culpa fuerit in conscientia. Deinde: ex nullo capite oriri potest obligatio restituendi; non ex injuria, quæ nulla fit ab eo, qui damnum non intendit, nec de eo cogitat; neque ratione rei acceptæ, vel contractus, quia nihil horum extat, ut ponimus. Hinc c. 2. de Const. dicitur, *rem, quæ culpam caret, in damnum vocari non convenit.*

15. R. 2. Obligatio gravis restituendi non

oritur nisi ex gravi culpa theologica. Ita communiter TT. & Canonistæ. Ratio est; quia restitutio est veluti pœna, aut onus, jure naturæ impositum culpæ contra justitiam. Debet igitur esse proportionata culpæ adeoque gravis tantum, si culpa sit gravis. R. 3. ex peccato veniali contra justitiam, si levitas peccati oriatur ex levitate materiæ oritur sola obligatio restituendi sub levi; injuria enim resarciri debet eo modo, quo est illata. In quo nulla est inter AA. dissensio. Quid vero si peccatum est veniale ratione inadvertentiæ, seu indeliberationis? Alii dicunt, esse obligationem restituendi totum damnum; alii solum partem damni, idque sub gravi culpa. Probabilior tamen sententia tenet cum Navarro, Lugo, Cabassutio, & alii, in ea hypotesi nullam esse omnino obligationem restituendi. Ratio est, quia culpa venialis ex indeliberatione non est simpliciter delictum, & injuria, & ideo nequit parere obligationem restituendi. Sicut ex contractu, ubi plenus defuit consensus, & ex voto sine integra deliberatione emisso non oritur aliqua obligatio.

16. R. 3. Hæc intelligenda esse *per se loquendo*, quia ex peccato levi potest aliquando oriri gravis obligatio restituendi. 1. quando in ultimo furtulo levi completur materia gravis, nec fur advertit ad furtula præterita; quia licet tunc ob inadvertentiam leviter peccet, injuste tamen retineret quantitatem acceptam, quæ per ultimum furtum fit notabilis. 2. in contractibus, in quibus præsumitur, eum, qui contractit, se voluisse obligare da resarciendum

damnum illatum, etiam sine gravi culpa theologica. Quod si nullus sit locus id præsumendi, æqualitas contractus non videtur postulare, ut quis obligetur ad pœnam gravem sine gravi culpa. Leges autem, quæ præcipiunt restitutionem cum sola culpa juridica, vel solum obligant pro foro externo, idque post judicis sententiam, vel præsumunt, culpam theologicam. Pariter in Officiis leges obligant ad restituendum illatum damnum per culpam solum civilem, quia præsumitur cum ea conjunctam esse culpam moralem. De cetero, si hæc desit, probabiliter nulla est obligatio restituendi, ut ajunt Salmant. Tenetur tamen restituere ex culpa levi juridica, qui recipit stipendium, vel qui promittit diligentiam majorem communi debita, vel officium exigit magnam diligentiam. Intellige, si illam omittat omnino voluntarie, adeoque cum gravi peccato.

17. R. 4. Qui intulit alteri grave damnum sine peccato, rem alienam accipiendo, tenetur eam restituere, si adhuc abeat; quod si partem ejus solum retineat, hanc restituere solum debet; nisi ex ea factus sit ditior, tunc enim totam debet reddere Domino suo. Si quis autem bona fide rem alienam destruit, putans esse suam, non tenetur reddere Domino, nisi quantum ex ea factus est ditior. Si quis prudenter dubitans de damno alterius, omittat diligentiam, quam adhibere oportebat, quamvis levis tantum sit culpa juridica, graviter peccat contra justitiam, proindeque obligatur ad restituendum; secus vero si debita utatur diligen-

tia, quamvis alioqui pravum animum haberet nocendi proximo, quod solum esset peccatum contra charitatem.

18. *Quest. 3.* Quomodo teneantur ad restituendum cooperantes ad damnum alterius? R. ad restitutionem obligantur ii omnes, qui sunt causa influens, & efficax damni alterius; ac qui ex officio, & obligatione justitiæ obligati cavere damnum, non caverunt. Ita DD. omnes, qui ad restitutionem obligatos his versibus expriment —

*Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstands, non manifestans.*

Ac primo quidem tenetur ad restitutionem, qui damnum præcipit, sive id explicite faciat, sive tacite, verbo nimirum, vel facto; utroque enim modo est causa moralis damni. Secus est de eo, qui ratum habet id damni, quod nomine suo factum est, modo ipse nullo modo cooperatus fuerit. Nec qui mandatum suum retractat ante executionem, contrarium suadens, etsi forte non persuadeat; modo id innotescat ei, cui mandatum dederat, quia non est jam vera causa damni.

19. Secundo ad restitutionem obligatur, qui consilio suo, aut precibus, aut promissis ad damnum alterius alium induxit, cum sit causa moralis illati damni. Constat ex prop. damnata ab Innoc. XI. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Requiritur autem ad talem obligationem, ut consilio suo, aut cooperatione fuerit causa damni. Nam, ut ait S. Th. 2. 2. q. 62. a 7. *Non semper consilium, adu-*

latio, vel aliquid hujusmodi est efficax causa rapinæ. Unde tunc solum tenetur consiliator, aut palpo ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta. Hinc probabilissima est sententia, excusans a restitutione eum, qui postquam dedit consilium, illud ante illatum damnum revocavit, præsertim si quo potuit modo damnum dissuadere conatus est; damnum enim, quod postea sequitur, revocato consilio non censetur oriri ex vi consilii dati, sed ex malitia exequentis. Ita censent multi ex antiquis TT. & ex recentioribus, Sporer, Roncaglia, Concina, & Viva. Recte autem monent Salmant. consulentem, qui nequit avertere alium ab inferendo damno, teneri ex justitia monere lædendum, ut sibi caveat.

20. *Quæst. 4.* Quomodo teneantur ad resarciendum damnum, qui consilio suo fuerunt illius causa? R. singulos teneri ad partem damni pro rata; quod si alii non restituant, unusquisque tenetur in solidum, cum totum damnum sufficienter oriatur a singulis, adeoque sint causa totius damni. Quid vero si damnum etiam sine consilio evenisset? R. Viva: si executor a se determinatus erat ad inferendum damnum, tunc suadens ad nihil tenetur; quia nulla est obligatio restituendi, *ubi intercesserit injuria, & non damnum*, ut docet D. Th. opusc. 73. c. 20. Secus autem si executor a consilio quoque motus fuerit, quia tunc suadens est vera causa damni. Quod si alter paratus sit ad damnum, v. g. ad occidendum, tu autem suadeas modum, nem-

pe ut occidat veneno, non gladio, in illo loco, aut tempore, citius, vel facilius; adhuc multi volunt, teneri consulentem restituere damnum; quia modum suadendo cooperaris substantiæ damni, præsertim si persuadeas, ut citius faciat, cum alter potuisset eo tempore animum retractare. Communis tamen sententia negat, nisi probabile sit, alium mentem suam mutaturum. Ratio est, quia ita consulens non est efficax mali causa quod substantiam. Atque in hac sententia fuerunt S. Th. in 4. dist. 15. q. 1. a. 1. & S. Anton. 2. p. tit. 2. c. 2. §. 6.

21. *Quæst. 5.* Utrum in dubio, an consilium, vel consensus tuus, cet. fuerit damni causa, tenearis ad restitutionem? Prima sententia valde probabilis affirmat, eo quod cum tuum consilium a se fuerit aptum ad suadendum damnum, præsumitur ipsum revera fuisse causam damni. Sic qui vulnus alteri infligit, natura sua lethale, præsumitur causa mortis, si occisus postea decedat, nisi aliæ sint conjecturæ, aperte contrarium probantes. Secunda sententia pariter probabilis negat, & videtur conformis D. Thomæ, qui ait loco supra laudato; tunc solum teneri consiliarium ad restitutionem, *quando probabiliter æstimari potest, quod ex hujusmodi causis fuerit injusta acceptio subsequuta.* To autem *probabiliter*, inquit Concina, intelligit S. D. moralem persuasionem, & certitudinem. Ratio autem hujus sententiæ est, quia nemo ad restitutionem obligatur, nisi certo constet de tali obligatione, nempe quod ipse fuerit causa damni. Nec semper id præsumi-

tur, quamvis consilium de se aptum sit ad influendum; cum enim, D. Th. teste, *non semper consilium, vel adulatio sit efficax causa damni*, influxus non præsumitur, nisi probetur. Nec eadem est ratio in infligente vulnus lethale, ac in consiliante, cum vulnus sit causa necessaria mortis, non ita consilium. Neque placet mihi via media, quam tenet Concina, nempe in tali dubio faciendam esse restitutionem pro rata dubii. Vel enim certo possidet consilium, & tunc qui dedit illud, tenetur ex integro restituere; vel consilium non possidet certo, & tunc ad nihil tenetur ex regula trita justitiæ: *in dubio melior est conditio possidentis*.

22. Ubi notandum est 1. eum, qui pravo consilium induxit aliquem ad inferendum damnum, teneri ad restitutionem, etiamsi alius non defuisset, qui eum induxisset; hoc enim non tollit, quominus ille fuerit causa damni. 2. obligari pariter ad sarcendum alterius damnum, qui fuit illius causa consilio dato per ignorantiam quando ista versatur circa res, quas scire ex officio debebat. Hinc Medicus, Advocatus, & Confessarius, & alii hujusmodi a restitutione non excusantur sub imprudentiæ nomine, vel inscitæ in iis, quæ ad munus eorum spectant. 3. qui minus malum consulit, ut majus damnum avertat, nec peccat, nec tenetur restituere, si consulat adversus eandem personam: v. g. volenti occidere Petrum potest quis suadere, ut tantum eum percutiat; hoc enim non tam est procurare minus malum, quam majus impedire. Non licet tamen damnum sua-

dere quantumcumque minus adversum alterum, cum quis habeat jus, ne in rebus suis lædatur. Nisi res adeo sit tenuis, ut dominus juste invitatus non censeatur; v. g. si volenti furari rem pauperi necessariam, persuadeas ut diviti potius modicum quiddam auferat.

23. Tenentur etiam ad restitutionem, qui suo consensu, calculo, vel suffragio sunt causa efficax damni. Unde illi, qui ultimo loco dant suffragium, post suffragia ad electionem injustam sufficientia, peccant quidem, sed non tenentur sarcire damnum, cujus non sint causa efficax. Tenentur tamen etiam isti, si ex conducto cum aliis suffragium tulerint, aut si potuerint aliorum suffragia revocare. Tenentur etiam in dubio, an eorum suffragium fuerit ex necessariis ad damnum; cum constet de damno illato proximo per justitiam suffragii, & præsumatur, singulos læsisse jus, quod dignior habebat; adeoque fuisse causam saltem partialem damni illati. Hinc quisque tenetur pro rata damnum reparare.

24. Obligatur etiam ad restituendum palpo, qui laude, adulatione, vel exprobatone ignavia alium ad damnum inferendum inducit. Item qui inferenti damnum prævet recursum, illius furta, vel instrumenta occultans, aut res furatas in custodia servans; cum hi omnes sint causa moralis damni. Hinc peccant, & tenentur restituere qui a sartoribus emunt fragmenta vestium, si prudenter judicetur, eos fraudasse dominos; atque hi, qui a filiis familias emunt ea, quæ timere possunt parentibus surrepta. Receptans

quoque furem tenetur ad restituendum, quando recipiendo fovet alterius furtum. Secus vero qui post furtum juvat furem ad fugiendum, modo non influat in damna futura. Imo si furem recipiat ut amicum, modo non consentiat furto, nec influat in futura furta.

25. *Quæst. 6.* Utrum is, qui bona fide rem furtivam emit, possit eam furi reddere, ut pretium recuperet? Affirmant multi cum S. Anton. p. 2. c. 5. §. 2. quia ita restituens rem, eam reponit in pristinum statum, adeoque nullam Domino injuriam infert. Nec teneris rem Domino servare cum tuo detrimento, & ideo potes permittere, ut fur rem alienam recipiat, ne pretium tuum amittas. Sicut qui rem alienam in via forte inventam abstulit, si postea noverit, eam retinendo, damnum sibi imminere, potest ipsam in eodem loco reponere, & permittere ut alter auferat, licet id faciendo, in deteriore statum immitat, cum id non ex malitia ipsius, sed alterius eveniat; nec tam cooperatio dicitur furto alterius, quam illius permissio. Alia ratio est hujus doctrinæ, quia cum quisque jus habeat ad sua bona recuperanda, nemini interdicitur actio illa, quæ per se necessaria est ad suum damnum reparandum, licet ex accidenti, & præter ipsius animum alteri detrimentum eveniat, ut patet mille exemplis. Hæc sane opinio probabilissima est, sed non habet locum, nisi quando emptori nulla alia via suppetit pretium suum recuperandi.

26. Aliud est de emptore malæ fidei, qui per injustam rei acceptionem injuriam intulit Domino, adeoque tenetur eam ipsi, non vero

furi restituere. Multi tamen apud Holzman affirmant posse restitui furi, si pretium aliter redimi nequit; quamvis enim emendo peccaverit, non amittit jus contractus rescindendi, rem furi restituendo. Nec sufficit ad obligationem restituendi actio quomodolibet injusta, sed quæ fuerit causa alterius damni, qualis non fuit emens a fure mala fide, quum damnum jam fuisset illatum per acceptionem furis. V. de Lugo.

27. *Quæst. 7.* Quo pacto ad restitutionem obligentur furti participes? R. dupliciter potest quis in furto dici participes. 1. furando partem prædæ, & hic solum tenetur ad restituendum eam rei partem, quæ ipsi obvenit; nam quoad illam solum damnum intulit domino. 2. potest quis esse particeps actionis damnosæ, ipsi cooperando auxilio, vel favore, vel instrumento, vel alia quacunque ratione adjavando furem, qui damnum intulit. Et hic quidem, si damnum grave sit, peccat lethaliter ex illo Proverb. 29. *qui cum fure participat, odit animam suam.* Præterea tenetur ad resarciendum damnum pro rata; imo si alii non restituant, debet totum damnum ipse reparare, cum sit causa injusta totius damni, ex L. 28. ff. de furtis, & c. 6. de homic. Unde ad restituendum obligatur non solum is, qui furatur, sed qui eum ad furtum comitatur, qui scilicet sustinet, excubias agit, portas confringit, cet. Quid vero si cooperetur furi ex gravi metu mortis, vel alterius gravis damni? R. nemo etiam cum vitæ periculo potest ad furtum positive concurrere, confirmando furem in pravo suo consilio, vel animos augendo, & similia; quia cum

istæ actiones sint intrinsece malæ, nulla ratione excusari possunt. Aliæ vero actiones, quæ secundum se spectatæ peccata non sunt, quamvis talia sint ex pravo furis animo, fieri possunt absque peccato, quando gravis, & justus metus intercedat sive mortis, sive infamæ, sive alterius damni superioris ordinis. Imo in illis dominus non censetur rationabiliter invitus quoad illum qui ita operatur, ut vitam propriam, & bona superioris ordinis conservet. Ita P. Milante in prop. 15. Innoc. XI. Vide dicta de cooperatione ad peccatum in tract. 3. de præcep. c. 7.

CAPUT III.

De aliis causis restitutionis, & de ordine ipsius.

28. *Quæst. 1.* An teneantur ad restitutionem, qui negative ad damnum concurrunt? R. 1. qui impedit sine vi quidem, aut dolo, ne alter repararet illatum damnum, peccat quidem contra charitatem, sicuti qui per malitiam permittit illud damnum, sed non contra justitiam, adeoque non obligatur ad restitutionem. Ita Lugo, & alii; sed repugnant Navarrus, & Medina, cum videatur causa damni alterius, impediendo illius reparationem. 2. is qui tacet, & furem non manifestat, cum possit, ac debeat; tenetur ad restitutionem. Unde Magistratus, belli duces, Tutores, Advocati, aliique, qui ex officio, vel stipendio obligantur cavere alterius damnum, nisi id faciant, tenentur ad restitutionem.

29. *Quæst. 2.* Cum plures alteri damnum inferunt, quo ordine debent illud sarcire? R. 1. si quisque seorsim, nec ex conducto concurrat ad proximi damnum, non plus reddere tenetur, quam id, quod per se quisque damni intulit. R. 2. si plures inter se consentientes, aut se invicem juvantes id fecerint, singuli in solidum tenentur totum damnum reparare, cum singuli sint causa totius damni. Unde si unus eorum restituit in integrum, potest ab aliis pro rata partem repetere. Quod videtur certum, si res, quæ damnum patitur, individua sit, ut cum domus, vel navis incenditur, homo occiditur, cet. Si autem res sit dividua, adhuc in solidum tenentur singuli restituere, si sese invicem moveant, & adjuvent, ita ut singulis non concurrentibus damnum non eveniret. Si tamen communi consilio ita concurrant, ut etiam aliis deficientibus fieret damnum, multi volunt, solum teneri ad restituendum pro rata in re dividua, v. g. in furto vinæ, thesauri, cet. quia solum erunt singulis partialis causa illati damni.

30. R. 3. Cum plures in solidum tenentur restituere, & dubium sit, an alius restituerit, quisque tenetur totum reddere; quia cum singuli obligentur ad reparandum totum damnum, non satis est partem illius compensare, nisi id quoque ab aliis factum prudenter præsumatur. Sed quonam ordine debent plures cooperantes restituere? R. si res ablata lucrum peperit auferentibus, is primo debet reddere, apud quem illa existit, vel ejus lucrum; quod si ille non faciat, tenentur reliqui. Si vero res perit, nec lucrum